



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Mutatio hominis in bestiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

salutare, frontem in lætitiã diffundere, & ad votorum audaciam invitare. Simul in humanitatis ac benevolentia tesseram, in aureo poculo *mulsum* propinare.

Quod ubi hauserunt advenæ, singulorum verticem magica virga leniter contingebat. Et ecce subitam Metamorphosin! mox enim fetis horrescere cœpêre comites Vlyssis, in porcorum figuras abire, grunnire, harãmque petere. Elapsus est unus, cui nomen *Eurilocho*, qui subodoratus maleficium, respuit poculum, de clade sociorum certiozem fecit Vlysses. Hic cum herba *moly* in amuletum à Mercurio jam antè accepta, ad Circen contendit; porrigentem medicatum scyphum, conantemque caput ejus virgã illã portentificã permulcere, stricto gladio repellit; nec antè minari ac terrere desistit, quàm ipsa maleficium solverit, & socios in pristinam formam, statumque restituerit.

Ethica.

I. (a) Decantata est hæc fabula, & nota malæ voluptatis imago, quæ blanditiis velut delinimento quodam dementare mortales, & in bestias transformare solet. Hæc, ut Dio Chryostomus loquitur, non gladiis, non hastis, non bipennibus, neque sagittis homines impugnat: sed luxu, deliciis, epulis, illecebris, mollitie inescat, decipit, effeminat, liquefacit, enervat.

(b) Innuit etiam fabula, eos mortalium in bestias verti, qui nequaquam ratione ducuntur: sed totos se dedunt turpibus affectibus, nihilque hominis præter nomen habentes, in pecudum naturam degenerant: puta libidine in urfos, spurcitiã in sues, ferociã in leones, voracitate in lupos &c. Quid autem Vlysses, qui neque venenatum poculum ori admovit, neque à monstrifica virga se tangi passus est, nisi firmum illum & constantem sapientis habitum significat, qui neque frangi terroribus, neque blanditiis, aut pravorum affectuum illiciis ab honesto potest abduci?

II. (c) Agnosce voluptatis vitia irritamenta. Primum est *Forma*. Nam Circe amabili quodam fulgore radios è vultu vibrabat, & intuentes in amorem trahebat; quam ob causam *solis filia* dicta est. Sapientis monitum est Proverb. 6. *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Hebraicè, palpebris volantibus & vibrantibus, sicut sol vibrat radios, & nubes fulgura. Iynx avicula, quæ

Fff

à collæ

- (a) Mutatio hominis in bestiam. (b) Vicia mutant hominem in bestiam.
(c) Illecebra voluptatis prava.